

182
SECUNDA VOTA CONJUGALIA;

VIRI

REVERENDI, CLARISSIMI & DOCTISSIMI
DOMINI

CHRISTOPHORI
RAZKII,

VERBI DIVINI IN TEMPLO SUBURBANO,
THORUNII PRÆCONIS POLONICI FIDELISSIMI,

Cum

VIRGINE lectissimâ

MARIA,

VIRI

ADM. REVERENDI, CLARISS. & DOCTISSIMI
DOMINI

MARTINI OLOFFII,

ECCLESIASTÆ MARIANI POLONICI
meritissimi,

FILIA per dilectâ,

Anni 1709. Die XIV. Maji,

ipso scilicet FORTUNATI die,

Solenniter inita,

Fortunata & Secunda esse jubet

MINISTERIUM EVANGELICUM
THORUNIENSE.

Ex Typographedò Thorunensi.



*E Domini tetigit manus, heu! repetita
querela hæc,
Pestifero autumnî tempore præteriti,
Ora fatigabat tua, nostri portio sacri
Cœtus, dum flebas funera cuncta
Tuum.*

Et nunquam *Facies*, sic percussore furente,
Quæ fuerat *Tibi* tunc, excidet atra mihi.
18 Nec leve, tam miserè, vacuos conjugè dignâ,
Septenâque simul prole, videre lares.
Te tamen Omnipotens, intactum cuspide pestis,
Inter tot mortes præstitit incolumem.
Solus eras tandem, solum Te Numinis ipsa
Gratia sustinuit, ne superaret onus.
O ingens Domini bonitas! quæ tempore dirò
Scit servare Suos, scit recreare Suos.
Norit posteritas, credat, miretur & altè:
*Nec Te, nec quenquam dira lues tetigit,
Nedum suppressit, Sacris qui ritè vacamus*
THORUNII, quamvis mille necaret atrox
A dextris, lævam versus quoque mille perinde;
Ac adstaremus quotidie miseris.
Sit Nomen Domini benedictum! Quippe draconis
Obstruxit ne nos perderet os temerè.
Sit Nomen Domini benedictum! vulnera cujus
Infligit *Manus*, & rursus amica ligat.

Ista

Ista *Manus Domini*, jam, *Frater*, protegat usque
Teque tuamque domum, Teq; novumq; Thorum.
En! etenim, surgit Tibi post tot nubila Phoebus,
Dum sociam spondet *Sponsa pudica* fidem.
Alma Trias ergò his coeptis benedicat ab altò,
Ac Tibi, post luctus, gaudia mille paret.

*Reverendo Domino Collegæ,
Amico sincerè dilectò,
gaudia post luctus perpetua esse jubet*

EPHRAIM PRÆTORIUS,
R. Minist. Senior.

Conjugium floret, postquam contagia cessant,
Ac diram justam tollit ab urbe DEUS.
Te Dominus salvum servavit tempore pestis,
Nobiscumque DEI munera sancta canis.
Sed cum prole tua prostrata est conjugis almæ
Vita, suæ cecidit chara columna domus.
Hinc hodie reparas domum REVERENDE SACERDOS
Et datur in thalamum Virgo pudica tuum.
Cum quis latusque Pater, sis latus Avusque
Non turbent vestrum nubila quæque torum.

*Hæc profaustis secundis votis
addere voluit*

MICHAEL RINGELTAUB, Sen.
Ecclesiast. Neopolitanus.

Ad Pl. Rev. SPONSUM.

Tristia sensisti nuper, (sic Fata volebant,)
Uxorem, Natos perdidit atra lues,

Post

Post imbres Phœbus, minuit nunc *Sponsa* dolorem,
Quam sociam casto jungis amore thoro.
Nunc summum charâ Numen *Te* prole coronet,
Nec turbent ædes nubila tetra *Tuas*.

*Ita ex animi sententiâ secunda quævis
adprecatuſ ser.*

M. GODOFREDUS WEISSIUS,
ad D. Mar. Ecclesiast.

*Epithalamion ad Dn. Sponsum & Virginem
Sponsam.*

EN! ubi depulso glacialis frigore *Brumæ*
Læti succedunt gratissima tempora *Veris*,
Florifero vultu ridentia germina *Tellus*
Promit, *Ager* sulcos spicis & frugibus ornat:
Hortus se decorans vestit viridantibus herbis:
Mille voluptates *Ver*, & nova gaudia promunt
Rura viatori, & vernantia *Lilia* florent,
Flexilis umbrosis vestitur frondibus *Arbor*,
Et surgunt vario variæ cum caudice *Plantæ*,
Omnia felici plausu *lætantur* in Orbe,
Atque homines posito capiunt *nova gaudia* luctû:
Guttur flexanimo passim super *Æthera* Cœli
Svave melos promunt *Volucres* resonantibus *Auris*,
Exercentque suos per roscida rura *Puellæ*
Cantûs, & gratum Hortorum *populantur* honorem,
Et redimita *Venus* lætatur Tempora *Sertis*.

Tu quoque, *SPONSE*, *DEO* perſolve encomia *Laudis*,
Ex animo lætare, & collige gaudia mente:

Con-

Conjugis en! functæ Thalamum gratissima supplet
SPONSA MARIA TIBI, quam rara modestia cingit;
Haut unquam poterat majus contingere munus
CANDIDE SPONSE, Tibi: multâ est Virtute polita.

Hæc Tibi mœroris nebulas absterget obortas,

Hæcce futura Tibi est in Terris Dulce levamen:

Tu, quia jussa DEI semper reverenter amâsti,

Et verba ipsius servâsti Pectore toto,

Hanc Tibi donavit SPONSAM Deus Æthere ab alto:

Tu quoque, SPONSA, Tuz post tristia Funera
MATRIS,

Post deploratam mortemque utriusque Sororis,

(Ut taceam reliquos, quos Mors jugulavit acerba!)

Jam lætaris ovans, & maxima gaudia spargis,

Lætitiâ exultas, Animumque ad sidera tollis,

Dum Tibi dant Sponsum florentem Fata secunda:

Ergò jam meritò nova concipe gaudia Mente,

Quod talem nacta es, CHRISTO Auspice, Sponsa Maritum

Quem DEUS Æternus, Rector stellantis Olympi

Ac Autor Thalami casti Tibi donat ab Axe

Astrigero, ut vero Te complectatur Amore,

Et Tecum Vitæ possit traducere Tempus

Concors, & morborum expers, expersque Pericli!

Nunc igitur Collo Sponsi da Brachia circum,

Dulcibus & Sponsa infige Oscula blanda Labellis.

Alit Vos felices concordii vivite Lecto:

Concedat Numen Supremum molliter Annos

Ducere sic vobis, & vivere Nestoris Ævum,

Ut fructûs Thalami possitis cernere multos,

Natos & Natas numeretis in ordine longo,

Natos Natorum quoque, qui nascentur ab illis,

Donec istius capient Vos tædia Vitæ,

Et Pater Æthereus Cœlorum in Regna reponat!

Chro-

Chrono - Disticha:

VIVite ConCorDes: Spes non ConfVsa reCeDat!
PaX rVrsVs Constans VoLVltVr à preClbVs.

Aliud pro Pace:

SanCte DeVs, paX sIt! Mars atroX LongIVs absIt!
IgnIs & Ira stetIs! PaX noVa signa VehIt.

In novæ Affinitatis.
πικανπιον f.

SAMUEL Schönwaldt/
Ecclesiastes Neopolitanus.

Ad Rev. Dominum Sponsum,
Past. ad Æd. S. Georgij.

F Unera præterito numero sine flevimus anno,
Cum viduans urbem serperet atra lues.
Quô Tu tum sobolem flebas dulcemque maritam,
Inque domo totâ solus & unus eras.
Nec levis est casus, quando cum prole parentem
Deperdis! Nonne hinc vulnera magna? dolor?
Ast immensa Dei bonitas, quæ quæque gubernat,
Quam pervasit adhuc nemo, nec ullus erit,
Abduxit turpi grassantem nomine pestem,
Et mala, quæ mediâ luce venire solent.
Cûi laudes canimus meritas; sufferre parati,
Sive malum secum fata bonumve trahant.

Quomo-

*Quomodocunque animis nostris videatur: ad æquum
Dirigit ac rectum, Dextra quod Ejus agit.
Aufert, compensat, deperdita damna reponit
Hūic, qui commendat se, sua quæque, Deo.
Sic hodierna dies ex magna parte repondit
Damna tibi lecti, cætera fide DEO.
Sponse, tibi datur in thalamum Marianna puella,
Ut præsens veteris sit medicina mali.
Apprecor, ad votum se vertat amabile fatum,
Sidere quò redeant prosperiore dies!*

*Compatri & Collegæ
appl.*

*DANIEL KÖHLER /
Ecclesiastes ad Æd. D. M.*

*S*icut post niveos nimbos & frigora dura,
Vernali redeunt tempora grata solo:
Sic Tibi post tristes casus, Clarissime Sponse,
Clara dies rediit, lenis & aura favet.
Nam Deus abstergit lacrymas post funera mæsta,
Et currunt filo Candidiore dies.
Cum venit in thalamos castos, vereque secundos
Virgo pudica, piæ & religionis amans.
Gramina quot pratum, quot flores hortus amœnus
Gignit, quot liquidas Vistula volvit aquas:
Tot Vobis surgant felices undique soles,
Tot veniant thalamo gaudia læta novo.

*Votivis hisce lineis
Reverendo Sponso
feliciter vota
repetita gratulatur*

*MICHAEL RINGELTAUBEN Jun.
p. t. Ecclesiastes Substit. ad templum S. Triadis.*

Dira

Dira lues vitiat, rapidus ceu conficit ignis,
Funestas, damno quin graviore, domos.
Frangitur ingesto satis humore ignis, at aestus
Sistere contagii nescio, flamma latet.
Hæcce Tuas, doleo, sedes involvit eundo,
Omnes absumsit, Vir Venerande, Tuos.
Vidisti subito validos concidere morbo
Uxorem, liberos, non nisi Tu superes.
Temperat adversis Numen quoque fata secunda;
Pro Cunctis Virgo redditur Una Tibi.
Una sit optatum felicitis pignoris omen,
Una Tibi viduas suppleat, opto, vices.

JOHANNES HELD,
Gurk. Pastor.



113603

113603